

Inter hæc tam prospere gesta induciæ cum Ungaris exspirare cœperunt, annusque præfens supererat. Rex qui jam Saxoniam non modo exercitam bellis, sed victorijs etiam adversus Barbaros animatam habebat, maturo quoque consilio ac providentia bellum Ungarorum tractare cœpit, sat gnarus, gentem superbam & fercem, evoluto novennio, aut tributum exacturam, aut bellum illaturam; alterum fœdum Saxonico nomini, alterum calamitosum fore, nisiarma opponant armis, & hanc gentem non secus ac Sclavos à cervicibus depellant. Quam in rem hoc anno duplicem conven- tum habuit, alterum procerum & populi Saxonici; in quo Rex mul- tis differuit de bello adversus Ungaros suscipiendos scire ipsos, qua Dei benignitate secundis prælijs primum Sclavi Dalmantici, tum Bo- hemi, post Retharii, ac demum omnes barbarorum gentes debellatae & tributariae factæ sint: superesse Avaros Hunnosque superbissimam & infestissimam christianæ religioni gentem, quæ evolutis indu- ciis tributum exactura. Quid hic agam? inquit, vosne ego ac filios filiasque vestras spoliabo, & ærario Barbaros implebo? id si fecero, ac nuda tantum corpora vobis relinquam, an Barbarorum horum cupi- ditas explebitur? & templa & aras spoliabo, & omnem sacræ Ecclesiæ thesaurum insumam, ut nostris opibus ditatus Barbarus nos eo cu- pidior & potentior expugnet, & in servitutem deprimat? Liberæ gentis nati sumus, quorum majores, cùm Barbari adhuc essent, tot annis pro libertate contra potentissimos Reges & nationes pugnârunt; Nos qui christiani jam sumus, libertatem christianæ religionis subjiciemus Barbaris? Nos qui omnes circum barba- ras gentes tributarias fecimus, barbaris Ungaris tributarij erimus? Deus supremus ille cæli terræque rector, qui de ceteris barbaris nobis triumphum dedit, ab horum quoque servitute liberabit, itaque victores faciet, ut cùm auditum fuerit Ungaros à Saxonib- bus vinci posse, etiam Itali, Bavari, Alemanni, Franci Orientales, & Galli, quorum regiones aut liberè percurrunt prædones, aut sub ju- go premunt, etiam nostro exercitu discant vinci posse, & hanc tan- dem pestem ex visceribus Ecclesiæ ejici.

Multa cum in hanc rem prolocutus esset Rex, omnis Saxonæ populus, inquit Widekindus Corbeiensis, primum voce, dein dextera in cœlum sublata, Regi fidem & omnem opem adversus Ungaros ju- ravit; tantummodo bellum Rex instruat, nihil sibi ex omnibus fortu- nis tamearum esse, quod non cum corpore & sanguine offerant.

Alter quem Rex petijt, Episcoporum conventus Erfurti fuit, cui & Unwanus Episcopus noster interfuit. Intelligebat nimirum sapien- tissimus Rex, quod in diplomate Herivordiensi supra professus est, has Barbarorum vastationes esse flagella Dei, quibus peccata cleri populiq; castigantur. Igitur ad placandum numen voluit sacrorum Antisti-

Henricus
R.adver-
sus Unga-
ros se su-
osque ar-
mat ani-
matque.